



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-
CHIRURGICA

CASUM SUBLUXATIONIS
VERTEBRÆ DORSI CUM
FRACTURA COMPLICATÆ POST
FACTAM REPOSITIONEM ET VARIA DIRA
SYMPTOMATA DUODECIMA DEMUM
SEPTIMANA FUNESTÆ
SISTENS
QUAM
SUB AUSPICIO DIVINO
ANNUENTE GRATIOSA FACULTATE
MEDICA

PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA MORE MAJORUM IMPETRANDI
SOLENNI ERUDITORUM CENSURÆ SUBJICIT

FRANC. AUGUST. FERDINANDUS
CUËNOTTE

ARGENTINENSIS.

DIE XXX. SEPTEMBRIS A. R. S. MDCCCLXI.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI,
Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancellariæ Typographi.

DREIHTHUNDERT FIFTY THREE MILES
CHURSGA
CORNUS SUPERFLUXATIONIS
ANNO MDCCLXII DORSI CIVITATIS
TURGAE A COMITATE (SODA)
SICULIA PROVINCIA ET ARIE DIR
SICULIA PROVINCIA ET ARIE DIR
ET LAMANIA TUNISIA
SISTENS
QUA
SUS MUNICIO DINNO
ALBANIÆ ORATORIA POCULATATE
HABENDA
ALLEGORIA
SICULIA PROVINCIA HONORIS ET PIAVITATIS
CORNUS MARE MARONI MISTRARI
TURGAE PROVINCIA ET ARIE DIR
HEXAGENDECTA HERDINANDI
CONFOTTE
ARGENTINISIE
DIE XXII DECEMBER A.D. MDCCLXII
ARCTOTRACTA
TITANIA MUNICPII CORONATA PROSPER



S E R E N I S S I M O
AC REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO
LUDOVICO
RENATO
EDUARDO
PRINCIPI
^{DE}
R O H A N
EPISCOPO CANOPENSI
SERENISSIMI ARGENTORATENSIVM
EPISCOPI & PRINCIPIS COADJUTORI
DOMINO ET PATRONO
MEO
CLEMENTISSIMO.

AC REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO
IUDICAVO DICO
OMNIA QVAM
DICO
PRINCIPALI
DE
R O H A M I
EPISCOPO CANORUM
SERVATUR ARGERNTORIENSIS
IUSQD E-SIMCIS CONSUET
DONUM ET PATERNO
GEBHARDUS

SERENISSIME PRINCEPS!



Eves hasce pagellas CELSISSIMO
TUO NOMINE inscribere dissua
det quidem auctoris, Munerum
quibus indutus es, negotia curas
ve interrupten, exiguum pondus; dissuadet infau
stum, quod hodie prodit, artis suæ exemplar. Verun
enim vero non prorsus importunas & exosas Princip
Theses ipsi dicat & nuncupat Medica Ars, quem ex su
penu haud ita pridem servare novit, suo itaque illa jur

ie TIBI meque iuit, novum in TE Patronum novum-
que Protectorem amplectens. Non dudum est, cum
aestuabat tabida in TE febris, paucos intra dies ita mi-
lere corpus concoquens & omnia depascens domestica
illa pestis, ut vix quicquam in imagine TUA vivum
superfuerit. Extimuit Gallicana Ecclesia, Lutetia
ingemuit, Alsatia nostra ô quam foeda aspectu !
quot lacrymas? quot vota profudit? advolavit Medi-
cina prudenter suas opes per inaequales venarum laby-
rinthos diffundens, docta manus venam secavit, & qua
data porta intestinus e venis in auras evanuit hostis.
Tum igitur clientem Principis & famulam sese Medi-
cina clam fecerat, clientem & famulam hodie propa-
lam se monstrat. Huc impulit insuper Artem meam in
Societatem decorum & beneficiorum, quæ cæteris Arti-
bus contulisti, veniendi spes & cupidus. His enim Ar-
ibus & Scientiis, quibus Medicinæ manu redditus es,
difficile dictu est an plus claritatis alumnus, quam Patro-
nus impertieris. Testes Philosophia, Matthesis, Theologia,
humaniores Litteræ & Academiæ Regiæ Scientiarum Illu-
trissima corona, quæ TE ipsam ingrediente, novo quasi
porto sidere, mirum in modum inclaruit. Sola interim sine
omnione, sine honore a TE accepto Medicina jacebat,
nactenus ingloria, TUAMQUE Benevolentiam non-
duni

dum publice experta. At quam tauſta hodie illuxit
dies, quæ in Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales,
Mareschallos adolevit; in Atavos, Nepotes Regum
pullulavit; in Coronas, in Diademata, in Sceptra ef-
floruit. Non fatis erat utriusque Patrui splendor, quo-
rum alter Archiepiscopus & Dux Remensis, Primus
Franciæ Par, æquitatem, Religionem semper amans &
in aliena ætate ingenii perspicacissimi quandam viridi-
tatem retinens; alter Argentinensium Episcopus, qui
Episcopali Inſulæ, ut Rohanæ gentis mos est, Roma-
nam propediem additurus est Purpuram, TIBI hæredi-
tariam, quam quartus hic obtinebis, relicturus. Non
denique Coadjutoris titulus, quem nimirum ut con-
ſequereris, noſtra potius, quam TUA felicitas voluit.
Huc enim non interrupta Rohanorum Principum ir-
nobis regendis ſuccellio pertinuit, ut ab eorum regimi-
ne desuēſcere nesciamus: ſicut enim exquifitarum re-
rum uſus vulgarium fastidium ſolet parere, ita optimis
aſſuefacti Principibus nullos, præter optimos, pati po-
ſumus. Non hæc, inquam, omnia SERENISSIME
PRINCEPS! quamquam rara & ſplendida, non hæc
ornant TE præcipue & commendant. Ea enim majo-
rum merita ſunt & aliena laus. Sed quod publica De-
dicatione ex Artis Medicæ fonte benigne accepta, jam
nulla

nulla refretet Ars, cuius Patronus & Maximas non dicen-
tis sis, nulla, quæ Benevolentia & Largitatis TUÆ
monum sit facta particeps TUISQUE devincta Bene-
dictis, hoc TUUM est, jam non adscita sed vera TUA
& propria luce splendescis. Erit igitur qualemque
hoc opusculum TE summo Patrono defensum, erit
solemnis hæc Dedicatio perenne Gloriæ TUÆ studiique
simul & observantiae monumentum, quibus se TIBI to-
rum cum Arte sua consecrat & devovet

SERENISSIME PRINCEPS SERENISSIMI NOMINIS TUI

Servus Humillimus

FRANCISCUS AUGUSTUS FERDINANDUS CUENOTTE, ARG.



HISTORIA MORBI.

Vix quadragesima annorum, confruendis navibus operam impendens, vegeta alias sanitatis & Temperamenti Sanguineo - Cholerici, 1757. 12. Iulii, dum sub rate ponderosa, Sucule ope elevata, opus facit, ab ipsa inopinata delabente ad latus prosteruitur, & Subluxationem Fractura complicatam illius Amphiarthrosoe, qua ultima Dorsi cum prima Lumborum Vertebra confundimantur, experitur, Animi Deliquio illico corripitur, cui, cum sensim rursus sibi conscientia fit, perfecta Paralysis & Anaesthesia extremitatum inferiorum iuncta deprehenduntur. Hoc ipso die ambo in auxilium vocati Expertissimi nostrae urbis Chirurgi D. ZIEGENHAGEN & D. BECKER, non sine magno labore, Repositionem Vertebræ luxatae, praemissa Vena Sectione, adornant. Nihilo sciecius ager in membris inferioribus perfectam Anæsthesiam conservat, ita ut, absque ullo sensu, femora ipsius scalpi immo forcipe vellicari possint, nec Paralysis dictarum partium cedit, Abdomine toto quoque quasi demortuo, calorem tamen naturalem conservante. Statim post Repositionem fomentationes ex herbis aromaticis cum vino & ejus spiritu composite applicantur, quarum usus per dies noctesque protrahitur. Interdiu quoque frequenter locus affectus alcohole Liquore anod. min. H. permixto fricatur, Symptomatibus tamen nec latum unguem inde cessantibus. Patiens, qui insausto lesionis die alvum non exoneraverat, sequenti 13. Julii enema accipit, quod, post aliquot horarum moram, nullis comitantibus excrementis, infcio ipso, redditur. Nec minus ipsi Mixtura ex aquis diapnoicis, pulv. antispasmod. Hall. Lig. C. C. succinato & anod. min. H. conflata ab Experientissimo D. Medico

A

Medico

Medico ordinario D. CORVINO curam dirigente propinatur, quam, absque ulla in sequenti mutatione, haurit, nec usque ad tertium morbi diem de ullo dolore conqueritur, multo minus, affatim licet bibens, guttam lotii excernit. Noctu inter 14. & 15. Julii subito abdomen tensum acquirit, ac ab urina cohibita sese excruciarri testatur, quod malum Catheter applicatus, copiam lotii saturati evocans, non sine magno dolorum levamine, tollit. Ex hoc tempore Catheterisnus bis vel ter de die, ob dolorum alias ingruentem ferociam, adornatur, donec 2. Augusti lotium, inscio agro, guttatum eliminari incipit. Diu hæc ita aguntur, per septem priores morbi dies excremenia in intestino recto compacta retinentur, ita ut singula chlysmata, absque ulla effectu, ad oclavum usque diem administrentur, quo tandem involuntarie reddi inchoant. Nona vespera ægrotus vehementi horrore ac in sequenti insigni calore febri corripitur, simul de enormibus dorſi doloribus conquerens, ac ex hoc tempore in femoribus fornicationis sensum animadvertis. Elapsis, post rigorem, aliquot horis, sudore per totam noctem durante corripitur, & die decimo, dum versus solis ortum sudor finitur, totum ejus corpus, si membra inferiora excipiatis, Purpura rubra copiosissima variegatum appareat. Hæc Exam-themata toto decimo quarto die non evanescunt, hoc elapsi disparere incepunt, percepto per totum hoc tempus dicto fornicationis sensu, Paralyse vero partium inferiorum adhucdum pertinaci. Purpura Febre tertiana continua stipatur, ac, durante ipsa, quolibet die Catheterisnus bis vel ter, urinæ elicendi causa, administratur, simul vero, ejus ope, atrocissimus abdominis dorſique doloribus, prunorum cudentium sensum excitantibus, feliciter obviam itur. Purpura jam ante quatuordecim dies terminata ager crebra excretione alvi sanguinolenta, copiosa, Dysenteriam mentientis affigitur, cui tamen nullus Tenesmus, sed anus potius præter naturam dilatatus, enemata mox respuens, accedit. Accedit præterea continua urinæ, copioso cruento rinitæ, involuntaria excretio, novum ac antea nondum visum Symptoma. Durante Dysenteria ager alternis diebus, versus noctem dolores dorſi atrocissimos sentit, qui Vene Sectione & Potiuncula ex oleo amygd. dulc. Syr. Althæa Fern. Liq. anod. min. Höffm. Laud. liq. Sydenh. composita quidem cicurantur, aſt nullum somnum permittunt, per totum morbi decursum vix per hora spatiū hactenus protractum. Tandem ad finem tendit quoque Dysenteria, ægrotus iterum cibum capit, dolores tamen periodici in dorso recurrunt, membra inferiora paralytica manent, alvis involuntaria perseverat, urina filicidium continuatur, lotium, loco sanguinis, pure permixtum reditum.

ditur. Sub longo hoc decubitu, praecipue tribus ultimis septimanis dorsum agri excoriari ac in putridum tabum diffluere incipit, Sphaeculum nimirum Gluteos & Latissimum Dorfi Musculos ferme penitus depascentem, quo sectione exstirpato, Processus Vertebrarum Spinosi Carie comesti sub oculos cadunt. Undecima hebdomate pedes intumescent, appetitus prosteritur, patiens, rejectus per vomitum iuscicul, non nisi emulsiones haurit, Comate somnolento corripitur, expergesfactus Syncopen incurrit, qua profigata, restauratis quasi viribus, vivam vocem recuperat. Duodecima tandem septimana totus conjunctus, viribusque fractus, sibi tamen conscius miserae vitae finem placida morte attingit. Secunda cadaveris Abdomine apparent: Musculi abdominales fere torti consumuti; sub Osse Pubis in Linea alba ulcus materie ichorosa scatens; Epiploon valde inflatum; Hepar in statu sano; Bilia Vesicula multa, spissa, profunde viridi Bile turgida; Lien in superficie flaccidus, Sphacelointus comes; Vasa Brevia intacta; Pancreas non violatum; Ren sinistram dextrum duplo volumine superans, extus nigro marmore pictus, intus purulenta sanie repletus; Cavitas Pelvis hinc inde diffuso ichore referta; Vesica versus collum stipata, carnea apparet, in fundo corpori glanduloso similis, ab utroque latere sphacelosa & ichore corrosa; Scrotum contenta aqua tumidum; Testiculi faba vix majores; in loco Subluxationis, ultima quippe Dorfi Vertebra, praternaturalis callus quasi cartilagineum; Medulla Spinalis cum Nervis ad visum non mutata. Cavitates Encephali & Pectoris denique, si adhesionem sinistri Pulmonum Lobi ad Pleuram excepérunt, illibate reperiuntur.

§. I.

Nter morbos Fori Chirurgici, qui ægrum suum fere semper certæ, &, omni licet adhibita opera, inevitabili neci tradunt, sane Subluxationis illa species referenda venit, qua Spinæ Dorsi Vertebræ sede, ut cum CELSO loquar, moventur. Dislocatio quippe hæc non potest contingere, quin una alterave Medullæ Spinalis portio eam subeat mutationem, qua ad officium, quo defungi debet, aut aliqualiter, aut ut plurimum prorsus inepta redditur. Mutationem hanc, Reductione licet omni dexteritate peracta, evidentem faciunt dirissima, quæ morbum hunc vix non semper comitantur, Sym-

ptomata, quorum plurima explicandus meus Casus, quem hodie L. B. examini subjicio, ob oculos ponit. Novi quidem hoc malum a medente, pro dignitate ejus, considerandum Osteologiæ recentis, quæ huc spectat, & Luxationis historiæ ampliorem cognitionem, Symptomatum demum ex his explicationem, ac tandem Methodus medendi, in quantum ars exporrigitur, perfectam delineationem exposcere. Cum vero ambarum priorum conspectum adeo nitide in absolutissimis operibus jam exhibuerint celeberrimi auctores, cum, absque necessitate, limites exarandi Thematis transcendere nolim, circa illas mihi liceat esse paulo breviori, ita tamen ut, quæ absolute desiderari possent, præmittam, cæterum morbum ampleri serie Pathologica descriptum subnectam.

§. II.

Quemadmodum in Fractura ossium eorum continuitatis solutio fit, sic in Luxatione vicissim durorum horum corporum tollitur contigutas. Terminus quippe genericus *Luxatio*, sive *Exarticulatio* Latinorum, *Dislocatio* Barbarorum nil aliud indigitat, nisi ossis alicujus e sede naturali in præternaturalem prolapsum, quo motus arbitrarius sufflaminatur. Viri circa Chirurgiam immortale nomen sibi comparantes HEISTERUS *Inst. Chirurg. T. I. L. III. Cap. I. §. 1.* nec non PLATNERUS *Inst. Chirurg. ration. §. 1090.* generaliori & ampla Luxationis definitione missa, eandem a præcipuis ejus speciebus aut mox definiunt, ut hic, qui articulos, si sedibus suis excidunt, & ossa, quæ naturaliter juncta sunt, si inter se dehiscent, luxata vocat; aut, ut ille, cum CELSO *Lib. de Re Medica VIII. Cap XI.* luxata ossa, concinno sermone, sedibus suis mota definiunt.

§. III.

Multo fusiores in dividenda Luxatione sunt optimi viri. Sic 1) omnes uno ore illam in *completam*, *perfectam*, sive *Luxationem in specie*, & *incompletam*, *imperfectam*, sive s. d. *Subluxationem* discriminant. Priorem, si nimirum articulo juncta ossa sedibus suis prorsus excidunt, Græci ἐξάσπια, Germani eine Verrennung, Ausweichung, Galli *Deplacement*, Luxation simpliciter vocant, & eam rursus a Secessu ossium per Ligamenta, Carti-

(1)

Cartilagine, Suturas, Harmonias, Gomphosin junctorum, sub nomine *Secessus*, *Avulsionis*, *Separationis*, Germanis Abgleitung, Gallis *Ecartement* distinguunt. Alteram, si juncta inter se dehiscunt, Græci *ταράσθημα*, Germani eine Verstauchung, Galli *Dislocation*, *Demission*, *Entorse*, *Detorse* salutant. *Vid.* MAUCHARTI *Dissertatio de Lux. Nucha* pag. 10. Perfecta talem relaxationem, extensionem, disruptionem Ligamentorum supponit, ut os extra cavitatem suam plane deturbatum alieno loco situm sit. Imperfecta vero os e proprio loco non prorsus dimotum, sed partim extra manens, partim intra, sinus seu acetabuli margini innitens, silit. Pertinent huc *Difforso*, *Perverso*, *Relaxatio seu Elongatio*, *vid.* MUNNICKS *Chirurg. Lib. V. Cap. I. p. 341.* 2) Luxationem in *simplicem & complicatam* dispescunt, & quidem priorem talem vocant, quæ nullo alio morbo augetur, posteriorem vero, quæ cum vulnere, fractura, ligamentorum debilitate & resolutione, contusione, graviori inflammatione conjuncta cernitur, *conf.* HEISTERUS *l.c. §. 3.* 3) eandem in *recentem & inveteratam*, 4) in *partium magis minusve liberarum Luxationem*, teste HEISTERO *ibid. 5)* in *determinatam*, id est certi alicujus ossis, & *compositam*, si plura ossa simul loco cedunt, dividunt, *vid.* MAUCHARTUS *l. c.* nec inepte 6) MUNNICKS *l. c. pag. 342.* Luxationes, pro varia directione *in superiorem, inferiorem partem*, aut *ad latus* distinguit, quibus ex COL DE VILARS *Cours de Chirurgie Tom. V. pag. 46.* illas addo, quæ *in anteriorem*, aut *posteriorum partem* fiunt, e. g. in Vertebris. 7) ratione denique causæ, in Luxationes *a causa externa*, v. g. casu, iectu, saltu, distorsione &c. & eas *a causa interna*, humoribus puta affluentibus &c. luxata cum MUNNICKS *l. c.* dispescere haud absonum est.

§. IV.

Dicendum mihi nunc esset & concinno sermone præmittendum quenam & quomodo diversa C. H. ossa Luxationi, Secessui, aut Subluxationi magis minusve sint obnoxia, de singulis porro horum vitiorum Symptomatis & Therapiis aliquid prælibandum; cum vero explicatio Casus mei arctioribus memet cancellis circumscribat, L. B. ad absolutissimum opus HEISTERI *l. c. re-lego*, &, missis plante generalioribus, ad illuni proprie morbum considerandum festino, quo Vertebræ Spinæ sede mouentur. Luxantur vero inter se non solum Caput cum Cer-

vicis Vertebris , quam Luxationem laudatus MAUCHARTUS
l. c. sub Luxationis Nuchæ nomine , graphicè descripsit , sed
& Vertebræ inter se . Vertebræ inter se rursus aut perfecte
luxantur , aut solummodo dehiscunt . Observarunt autem
omnes in hunc morbum attenti Auctores perfectam Luxatio-
nem Vertebrarum rarissimam , imo fere impossibilem esse . Sic
jam HIPPOCRATES Opp. omn. Ed. van der Linden P. II. Lib. de
Articulis §. 43. ait : Ex posteriori parte ad internam vertebrarum
expulsionem fieri non est proclive , si non in immensum grave ali-
quod onus irruat . Nam ex ossibus , quæ foras enata sunt , unum-
quodque ejusmodi est , ut prius ipsum frangatur , quam magnam
intro inclinationem faciat . Cum COI experientia conspirat
omnes recentiores : MUNNICKS l. c. p. 353. JUNCKERUS Chi-
rurg. Tab. LXV. p. 518. HEISTERUS l. c. p. 235. GORTERUS
Chirurg. repurg. pag. 91. 93. PLATNERUS l. c. §. 1135. aliique.
Observarunt porro longe facilius Colli Vertebras , utope mi-
niutiores ac mobiliores , quam , quæ in Pectore vel Dorso sunt ,
elabi , siquidem hæ non majores solummodo , sed & arctius
inter se junctæ esse consueverunt ; similiter Vertebras Lumbo-
rum , quum & multa cartilagine instructæ , & , propter si-
num defectum , læviores ac mobiliores sint , haud adeo dif-
ficulter quoque e nativa sua sede dispelli posse ; denique Coc-
cygis Os per partum aliquem difficultorem extus protrudi ,
per lapsum autem graviorem deprimi , atque in interiore
partem compelli nonnunquam solere , testibus HEISTERO l. c. &
GORTERO l. c. pag. 91. Quod Luxationem Vertebrarum Colli fa-
cilem nullam exceptionem facere mihi videtur RIOLANI casus ,
quem Encheirid. Anat. Lib. VI. Cap. II. p. 440. proponit :
ubi in milite suppicio strangulationis multato , coalitum duarum
superiorum Colli Vertebrarum observavit , qui tamen li-
bere caput in omnem partem movit , is enim difficultatem
aut impossibilitatem Luxationis harum Vertebrarum adeo non
demonstrat , quo minus mentionem facit clar. Vir , num mo-
tum rotatorium capitis super Atlantem vel tertiam Colli Ver-
tebram exercuerit .

§. V.

Cum ex HIPPOCRATE l. c. §. 48. aliisque melioris notæ
auctoriis , infra in Prognosi §. 16. dicendis , evidens fiat ve-
ram ac perfectam Vertebrarum Luxationem illico , aut mox
letha-

Iethalem esse, æger vero meus vitam ad duodecimam septimanam prostraverit, cum omnibus sanis Chirurgis concludo morbum hunc in Subluxationis classem esse referendum. Hinc est cur totam nunc meam attentionem maxime Subluxationis Vertebrarum examini dicem, præmissis aliquibus, circa Osteologiam recentem Vertebrarum Dorſi & Lumborum momentis, ut & non nullis Casum meum illustrantibus observationibus. Ultima vero Dorſi Vertebra, quæ cum prima Lumbari Subluxationem perpeſſa est, uti accuratis obſervavi, corpus ex omnibus Dorſalibus maximum, ſurſum & deorſum planius, ab utroque latere tuberosius, ab antica ad poſticam partem gracilius, porro Apophysin Spinoſam longam, ſurſum acuminatam, deorſum ſuperficialiter excavatam alit, quæ ſpecie alicujus capituli inclinati, largi, fed curti terminatur. Apophyſes ejus quatuor Articulares fere directe ſupra & infra Apophyſes Transverſas locantur, ſuperiores facies parum convexas & verſus posteriora verſas, inferiores leviflimate convexas, antrorſum vergentes agnoscunt. Apophyſes Transverſae parvæ ac curtissimæ ſunt. Facies Apophyſium Articularium inferiorum lateraliter ſimul extorſum vergunt, dicto modo convexe, inde fit ut hæc Vertebra ab ambabus ſociis excipiatur. Præter ſeptem Apophyſes vulgares, non nunquam duas minores adhuc, inter Transverſas & Articulares ſuperiores, adoptat. Aſt prima Lumborum Vertebra volumine dictam ſuperat, ipta largior, ſed inter faciem anteriorem & Apophyſes gracilior, ſuperne & inferne aliqualiter concava. Apophyſis ejus Spinoſa curta eſt, Transverſae illis Vertebrarum Dorſi longiores, Articulares ſuperiores longitudinaliter concavæ, inferiores ſimili modo convexe. Præter has due adhuc minores accessoriarum ſuperiorum adſunt. Ampliorem harum Vertebrarum descriptionem videtis in WINSLOW *Exp. Anat.* Tom. I. ſ. 490. ſqq. & PLATNERO I. c. ſ. 1130. Quod Cartilaginiſes ambas meas Vertebras incrufiantes attinet, illæ quatuor Apophyſium Articularium Lumbaris volumine vincunt eas Dorſalis, & hujus Cartilago interarticularis illam prioris vi- ciſſim ſuperat. Ligamenta valida, quibus Vertebræ hæ coercentur, hæc fere ſunt: durum, cartilaginosum, elasticum & flexile, quo tota Vertebrarum columna conſtringitur. Porro hæc corpora etiam aliis pluribus, brevioribus vinculis continentur, quæ ſeſe cruciatim decuſſant, ab infima extantiori ora ſupremæ Vertebræ incipiunt, ſuper modo commemoratum Li- gamen-

gamentum cartilagineum oblique feruntur, & oræ supremæ infra sitæ Vertebræ alligantur. Hæcce Ligamenta vix descripto firmantur. Accedit illud, quod totum Vertebrarum canalem intus obducit, validum, Medullæ Spinali contiguum vinculum. Cum hoc nequit id, quod Processus Spinosos intus revincit. Apophyses vero Articulares Ligamenta Capsularibus induuntur. Alia denique Ligamenta inter Processus Spinosos & Transversales intermedia reperiuntur. Imo ipsa Processuum Spinosorum spicula per chordata vincula mutuo refrænantur. Vide uberioris circa hæc WINSLOW des *Os frais* §. 314.

§. VI.

Patet ex his, quam stupenda vis requiratur, ut perfecta Luxatio in Vertebris his locum habere queat. Intelligitur cur perfecta Vertebrarum Dislocatio fere fieri nequeat, nisi a violentia Vertebras & Medullam, quæ in Spina est, dilacerante & illico interficiente, ut aliquando vidit HEISTERUS l. c. pag. 237; aut nisi diffractis Apophysibus, vel penitus divulsis Cartilaginibus, ipsi Vertebrarum corpori adnatis, quibus in parte anteriori inter se connectuntur, ut observavit MUNNICKS l. c. p. 353. Per-spicitur cur JUNCKERUS l. c. p. 518. perfectam Luxationem absque Ligamentorum ruptura fieri posse neget; cur COL DE VILARS l. c. p. 131. divisionem Luxationis in completam & incompletam repudiet, quoniam priorem cita mors, a dilacerata scilicet Spinali Medulla, excipit. Evidens quoque inde fit completam Luxationem, præcipue Capitis cum Atlante & reliquarum Cervicis Vertebrarum inter se, celerrima morte utplurimum excipi debere, cum hæc, præter dicta §. 5. vincula, fortissimum Nuchæ Ligamentum adhuc adoptent, cui in Epistrophæo Processus Odontoides cum suis Ligamentis accedit, prius igitur teneram, propinquam Encephali, Spinae & Nervorum sub occipitio locatorum medullam nimis distendi, collidi, atque lacerari, quam hanc Amphiarthrosin vere luxari. Id quod tamen non nunquam in Articulatione Atlantis cum Condyloideis Occipitis Apophysibus, superstite vita, est observatum, ubi vero ægri capite distorto, mento pectori sic adglutinato, ut nec deglutire quidpiam, nec loqui, nec partes, quæ subter collösunt, movere potuerint, manserunt, donec prouincissimum auxilium ipsis adhibitum fuerit, teste HEISTERO l.c.p.235. Licet non ejusdem mentis sit PLATNERUS l. c. §. 1123, qui omnem curam

curam hic inutilem censet, utpote cui æger vix supervivat, citata PETITI de Morbis Ossium Tom. I. p. 66. obseruatione, ubi puer diductis atque emotis his Vertebris momento citius extinctus fuit. Haud frequenter sane occurrit observatio illi COL DE VILARS l. c. pag. 136. similis, ubi Luxatio secundæ Vertebræ Colli a casu post aliquot demum dies necem attulit. Rarissimus est AUCTORUM Select. Med. Francof. Vol. I. obs. 2. casus, ubi quinta sextaque Vertebris vehementiori ictu inter se dehiscentibus, Spinali Medulla per transversum disrupta, æger per tredecim horas adhuc vixit. Mirum interim est tanta mala non a Gibbere oriri, cum tamen stupendæ Gibbositatis & Incurvationis Spinæ occurrant exempla, qualia nobis narrant PALFVN Anat. Chirurg. P. II. p. 203. & CHESELDEN Anatomy edit. 3. Tab. VI. Diveritas vero hæc mihi inde derivanda videtur, quod apud Gibberes hæc Dislocatio pededentim, absque concussione aut violatione Medullæ Spinalis fit, Vertebræ quoque in ipsis solum subluxantur & hæc imperfecta Luxatio eo minus periculi involvit, quo inferiores sunt Vertebræ, ne dicam fatalem Paraplegiam partium subjectarum, si malum nimis augetur, illi sensim supervenire, quæ Luxationem vero presso pede sequitur, sive Vertebræ a se diducantur aut emoveantur, ut in PETITI vix citato exemplo, sive in anteriorem vel posteriorem partem, vel in alterutrum latus penitus expellantur.

§. VII.

Alia paulo res est cum Luxatione spuria sive Subluxatione Vertebrarum, licet enim & hæc in ancipiti bivio sit constituta, spes tamen curationis ipsi, præ priori, multo magis arridet, præcipue si levior est, aut malum circa infimas Vertebras hæret. Dehiscent vero a se invicem aut Apophyses oblique ascendentes aut descendentes, atque non in utraque semper, sed quandoque in altera tantum parte prorumpunt. Porro nunc unicæ, nunc plurium simul corpora propelluntur. Taxat HEISTERUS l. c. p. 237. hic errorem vulgi, quod, in omni Luxationis Vertebrarum specie, ad promotarum numerum eas quoque utplurimum refert, quæ inter binas promotas mediae constituuntur, licet integræ sint. Addit enim: quoties e. g. superior Lumborum ab infima Dorſi, simul infima Lumbaris ab Osse Sacro distracta est, quinque Vertebræ sedibus suis dimota judicantur, cum tamen proprie non nisi bina illæ exterioreſ sint perturba-

B

tis,

te , reliqua vero tres mediae naturalibus sedibus infixae $\hat{\wedge}$ cum vicinis consueto modo nexa deprehendantur. Quod Casum vero meum attinet , solius ultimæ Dorsalis Apophyses oblique descendentes ab utraque oblique ascendentí primæ Lumbaris , per vehementemictum navis , fuerunt antrorsum propulsæ , ita quidem ut præcipua vis in Dorfalem lata fuerit , quippe cuius Apophyses tam Spinosa , quam obliquæ articulares Fracturam simul sunt expertæ , id quod callus in hoc loco præternaturalis , sectione cadaveris detectus & Subluxationis vestigia paucum oblitterans , abunde me docuit. In hac de Subluxatione mea idea a COL DE VILARS l. c. p. 131. adhuc confirmor , qui Subluxationem utriusque lateris Apophysium Articularium in eo præcise casu adoptat , quando corpus prone flexum ictu percutitur.

§. VIII.

Causæ Luxationis Vertebrarum perfectæ vel imperfectæ , in utraque specie non nisi gradu vehementiæ , quoad maximam partem , inter se discrepantes , in internas & externas sponte dividuntur. Internis adscribuntur : abundantia humorum , qui se nervis , & tendinibus , & ligamentis per congelationem & affluxum insinuant , easque partes relaxant , vid. GOCKELIUS in Gallic. Med. Pract. p. 658. earundem ex nimia fatigatione imbecillitas ; dolor , per quem affluxus humorum , inflammatio & varii ejus pejores exitus provocari queunt ; mala materies vincula , cartilaginiæ relaxans , rodens , videsis analogas duas obseruationes apud HEISTERUM l. c. pag. 226. corpus tenerum ; morbus hæreditarius , luxata enim ad infantes a matre posse propagari docet ZWINGERI in Theatro Practico P. II. p. 109. historia matris claudicantis tres filios claudos enixa ; superficies tandem Apophysium Articularium nimis contractæ juxta COL DE VILARS l. c. pag. 132. Externæ causæ sunt : casus ab alto , vid. GOCKELII l. c. obs. 10. & SAVIARD l. c. obs. 29 ; violentæ percussiones & contusiones præcipue in pronum corpus , conf. Historia morbi mei ; continuæ flexiones corporis versus terram , secundum GOCKELIUM l. c. aut ejusdem frequentes reclinaciones ; onera stupenda , ut rotæ plaustrorum onustorum , teste autoptæ HILDANO Obs. & Epist. Med. Chir. Ed. Henning. in IV. P. II. p. 82. Saltus , Luctationes , Tortura juxta HEISTERUM

RUM

RUM l. c. quibus omnibus in Osse Coccygis in exteriorem partem luxando difficilis partus accedit, *ibidem*.

§. IX.

Utraque Vertebrarum Luxatio tam communibus, quam propriis stipatur sequelis, vulgo Symptomatisbus, quorum ferocia in spuria illi in vera omnino cedit. Inter communia refero: Spinæ in loco affecto inæqualitatem; impotentiam standi aut ambulandi, siquidem corpus fere penitus resolutum est; abolitionem sensus & motus in partibus Luxationi; subjectis; stercoris & lotii vel plenariam suppressionem, vel involuntariam excretionem; inferiorum extremitatum lentam, si præsertim non cita Reductio fit, mortem. His adhuc GOHLIUS immanes dolores addit, quibus ægri excruciantur, si corpus in pronum flectunt, evanescentes, si supinum reddere tentant, in *Compend. Prax. Chirurg.* p. 429. Quamquam isthac mala, pro vario modo violata Medulla, plus minus sint atrocia. Propria Symptoma Luxationis Nuchæ perfectæ sunt: Convulsiones cita morte exceptæ, si Medulla simul iictu vehementer percussa est, uti id loquitur observatio 1. MAUCHARTI l. c. p. 13; affectus syncopici ægre profligandi; caput antrorsum inclinatum, propendens; manuum pedumque resolutiones; alvi & urinæ involuntariaæ excretiones; præcordiorum dolor; pulsus myurus propinguæ necis prodromus, si a casu ab alto Medulla lacefita est, *vid. observatio 2.* MAUCHARTI l. c. p. 14. Imperfectam comitatur Respirationis & Deglutitionis difficultas, post quindecim menses dum lethalis vîa a capite in venatione magna vi dextrorsum detorso, *conf. Hist. de l'Academie Roy. des Sciences* 1700. Ed. Amst. p. 50. §. 6. Ossis Coccygis Luxationem vero vehementissimi in infima Spinæ parte dolores, inflammations, intestini recti suppurationes alvique constipations statim utplurimum excipiunt; imo a spredo auxilio Chirurgico PETITUS abscessum, caudem, febrem lentam & mortem observavit. l. c. Tom. I. Cap. V.

§. X.

Propius nunc ad dira illa Symptoma recensenda accedo, quibus, tanquam notis characteristicis, præcipue Subluxationes Vertebrarum Dorsi & Lumborum, veris earum Luxationibus hoc respectu non nisi mitiores, agnoscuntur, &

illa quidem ita trado, ut, variorum Auctorum observatis circa ea præmissis, singula explicem, quibus morbus meus insignitus fuit, deinceps affectuum cum meo aliqualem analogiam alentium similia Symptomata, ad illustrandum meum Casum, subnectam. Dudum HIPPOCRATES Lib. de Art. §. 48. Urinæ talibus supprimuntur, itemque alvi fit egestio, pedes ac tota crura perfrigerantur; si superfites evadunt, magis profluam urinam habent & cruribus impotenteres ac torpidiores sunt; & AMBROSIUS PARÆUS Opp. Cap. XV. Il survient aux malades difficulté d'uriner & jette les excréments, aussi leur advient aux cuisses un rafroidissement & abolissement de sentir & mouvoir, & a aucuns l'urine & les autres excréments sortent involontairement, & aussi quelquefois sont retenus du tout. Inter recentiores HEISTERUS loco, quem vix §. 9. citavi, horum Symptomatum mentionem quoque facit. Non specialius ea delineat GOHLIUS l. c. p. 330. qui huc refert Paralyisin & Anæstesiā partium loco affecto subjectarum, impotentiam ambulandi, urinæ & excrementorum cohibitionem, involuntariam denique excretionem; GOCKELIUS, qui l. c. p. 659. inquit: tales plerunque ad pedes usque sensu & motu privari, ut intrusas aciculas ne quidem sentiant; si curantur, plerunque claudos ac membris captos, & debiles per totum vitæ sue cursum permanere; COL DE VILARS, qui l. c. p. 134. ait: Le malade ne peut se soutenir, les parties inferieures sont dans un état de stupeur, tombent bientot en Paralysie, & les excréments du ventre sont supprimées; nec fusior in describindis his Symptomibus est PLATNERUS l. c. §. 1135. Ast, præter singula hæc, HILDANUS l. c. p. 83. adhuc continuam rejectionem esculentorum & potulentorum, febrem ardente, sitim in-exhaustam, agrypnias, inquietudines, ariditatem linguae, delirium ab introrsum impulsâ secunda Lumborum Vertebra ob-servavit.

§. XL

Multo largior, in tristi meo Casu, dira cum hoc morbo conjuncta Symptomata perspiciendi copia mihi fuit data, quæ singula in H. M. descripta, quantum in me est, explicare allaborabo. Huc primo Animi Deliquium refero, quo æger, accepto iœtu, fuit correptus, quem fluidi nervæ in organa præfertim vitalia & animalia ad tempus suspensum debitum influ-

influxum rudi commotioni Medullæ Spinalis & ipsi continuo Encephali adscribere nullus dubito, qua membranae tubulos nerveos involventes spasmo correptæ fluidum suum sunt mortæ, sicut & hoc ab intensis animi affectibus, causa sane minus violenta, accidere quotidiana loquitur experientia. Altioris indaginis sunt Paralysis & Anæsthesia extremitatum inferiorumictum excipientes, & prior quidem ad necem usque rebellis, quæ, absque dubio, a rudi concussione & levi forsan dilaceratione Medullæ, Nervos his partibus prospicientes effigentis, derivandæ veniunt. Nervi vero hi sunt Cruralis & omnium C. H. maximus Ischiaticus, cum multis aliis hic locorum repentina connubium alentes. Prior e Medulla primi Nervi Lumbaris, per foramen inter duas Vertebras sejunctas exirent, cum illa reliquorum confluente efformatus, antrorsum introrsum sub Ligamento Fallopii ex abdome mine ad dorsum pedis descendens, & præcipue Musculis impensus, principalis dictorum Symptomatum evasit causa. Non potuit quippe tenera primi Lumbaris Medulla, dehiscentibus antrorsum Apophysibus & percepto adeo rudi ictu, plenariam fere effugere elisionem, cum reliqui Plexus Femoralis Nervi, totaque Lumbaris Medulla sola concussione jam tantum damnum acceperint. Concussione enim nervorum medullam ad officium suum pro�tam ineptam fieri posse docet casus *Hist. Acad. Reg. Scient. Paris.* 1705. pag. 68. ubi violenta talis Encephali concussio, absque vulnere aut extravasatione, solo collapsu medullæ cerebri ægrum momento cito extinxit. Ab hac commotione deducendum quoque censio sufflaminatum Ischiatici Nervi officium, qui ex medulla ultimi Lumbaris & Sacrorum Nervorum perficitur, ac per Incisuram Ischiaticam Pelvim relinquens dictarum extremitatum & earum Muscularum robur potissimum constituit, dum ab ipsarum parte postica ad plantam usque pedis fertur. Cum vero violento ictu solus primus Lumbaris Nervus elitus, cætera vero dicta, præcipue a remotiori Osse Sacro derivanda, stamina solummodo collisa fuerint, patet cur æger formicationis aliquem sensum, commotis a Febre humoribus, recuperaverit, parva medullæ tubulorum portione a collapsu quasi resuscitata, non tamen ad Paralysis solutionem sufficiete, licet insuper repositio dislocatarum Vertebrarum, prout decet, fuerit peracta.

§. XII.

Sed nec a concussione immunes fuerunt reliqui, præcipue Abdominis partes naturales petentes Nervi. Quis enim ignorat primum, ut reliqua paria Lumbaria, Consensuali Magno propriis surculis nubi? singula Musculis Lumbo-rum, Abdominis, Femoris, Ossibus innominatis, Glandulis Inguinum conglobatis, vasis, integumentis &c. horum locorum prospicere? aliquas horum chordas Nervum Obturatorium effingere? aliquas Funiculo Spermatico dicari? quis nescit surculos quosdam Intercostalis Nervi in Ischiatico evanescere? quem denique latet arctum Paris Vagi cum Consensuali Magno commercium, cuius ope præcipui illi viscerum Abdominis formantur Plexus? mirum igitur non est Abdomen fere totum, calore ob sanguinis circulum superstite, demortuum apparuisse; resolutis tunicis, maxime musculari Intestinorum, alvum statim sollicitari & excerni non potuisse, dum numerosi illorum a Splanchnicorum medio textu, ab VIII. Paris Plexu posteriori, a Plexu, quem rami descendentes Plexus Renalis utriusque faciunt, a trunco Intercostalis in Thorace & Lumbis, a Plexu Mesenterico magno, a Plexu Colico Sinistro, Consensualibus imis, Sacrisque oriundi Nervi per consensum speciem motus tremuli concipientes, teneriores alias illis extremitatum, simul fuere collapti. Evidens quoque inde fit, quomodo Resolutionem Intestinorum tandem plenaria eorum mors excipere debuerit, dicti siquidem Nervi tunicis Arteriarum itidem prospicientes, quæ tubo intestinali nutrimentum advehunt, collapso suo, sensim has adeo ad Systolen & Diastolen peragendam ineptas reddiderunt, ut pededentim obstructio, ex hac ea inflammationis species, quæ, juxta PLATNERUM l. c. §. 49. a laxatis vasis oritur, tandemque pessimus hujus eventus Gangrena & Sphacelus natu fuerit. Similis plane Tragœdia circa Visceræ Uropœa fuit lusa, quorum vasis tunicisque a Plexu insigni, quem rami Ganglii Magni Semilunaris spargunt, a tertio Lumbari, aliisque ejus ordinis simul laesis Nervis percursis, ab initio Paralysis, paulatim vera Gangrena & Sphacelus harum partium oriri debuit. Hinc lotii, abdomen tendentis & Cathetere evocandi, ab initio cum enormibus doloribus suppremissio, denique, infcio ægro, excretio. Doloris vero intensa

tensa & resoluta Vesica sensus docet posse nervos ab iectu ipsis
communicato citius paralyticos , quam sensus plane exper-
tes fieri , si præcipue ab ipso non immediate percutiuntur.

§. XIII.

Res vero ægri mei prorsus in præcipiti esse docuit insu-
per elapsa septimana apparens & superiora occupans Pur-
pura , Gangrenæ & Sphacelosæ infra formatae corruptionis
signum , non prius observandum , donec fæces una cum
lotio , præter ægri voluntatem , excerni inceperunt . Uti
enim in Hæctica novum pus resorptum novi acceſſus febrilis
fit scaturigo , ita & hic putredinem sensim concipientium ab-
dominis viscerum tabus , sanguini periodice admittus , sanos
nervos irritando , ab initio horrem , deinceps , cor ad cre-
briores contractions , acredine sua , invitando , insignem calo-
rem febrilem fudoremve procreavit , cuius ope materia sphacelosa
ad corporis peripheriam derivata , inter cutem & epi-
dermidem substitut , uti id in illa Purpuræ specie accidit ,
quæ non raro oritur , quando obstetricis negligentia Placen-
tæ portio in Utero relicta & putredine diffluens massam hu-
morum inquinat , a causa quoque maxime analoga illi , cui
Purpura Symptomatica Febrium malignarum adscribitur . Do-
nec tota Vesica & Intestinorum canali Sphacelo fere eneca-
tis , putrida colluvies debilitati maxime locum pe-
tit , & , vasa sanguifera per Diabrosm aperiendo , sincero
cruore tincta per Vesicam & Anum crebro eliminari coepit .
Absentia Tenesmi in hac Dysenteriæ malignæ specie , Anus
que præter naturam dilatatus sufficiens Sphaceli in Recto for-
mati exhibuerunt testimonium . Dolores porro Dorſi atrocissimi
non nisi alternis diebus , durante hoc fluxu , recurrentes len-
tam putridi tabi resorptionem & ægri ante hoc malum vegeta
viscera arguerunt . Pus cum lotio , cessante Dysenteria , ex-
cretum , ulcus sub Oſte Pubis , Ren pure plenus , Mefente-
rium & Epiploon in cadavere inflammata , partibus plerisque
laefis nervis subjectis prorsus consumtis , alias hactenus minus
violatas in inflammationem & suppurationem mali moris quo-
que abiisse testes fuere . Sphacelum & Cariem partium affecta-
rum a causis §. 12. oriundum longus decubitus , circum
humorum prorsus intercipiens , acceleravit . Scrotum & pe-
des tumidi ichore compressa Pudenda & Iliaca venosa vasa
funt

sunt locuti. Appetitus tandem prostratus, Vomitus, Coma somnolentum, Syncope malum sursum repens, vires fractas, mortemque imminentem pronuntiarunt.

§. XIV.

Notatu fane dignum & hic non prætermittendum dari casus meo analogos similia fere Symptomata comites habentes, meumque egregie illustrantes. Ita jam HIPPOCRATES l. c. §. 38. inquit: *quibus infra septum Gibbositas, horum qui busdam morbi Renum ac Vesica accidunt & abcessus ad suppurationem.* §. 58. eadem fere prædictis de concussione vehementi in rectitudinem Spinæ, absque Luxatione. Paralyсин membrorum inferiorum cum suppressione lotii a Regione Lumbari rudi casu percussa, absque tamen Fractura aut Luxatione lethalem notavit SAVIARD l. c. Obs. 30. Ab Apophysi Spinosa tertiae Lumborum Vertebræ per explosum globum plumbeum, corpori Vertebræ a latere intrusum, diffracta, Paralyсин extremitatum inferiorum & Vesicæ, globo extracto, evanescit centem videsis in Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. II. p. 515.

§. XV.

Vertebras vero Dorsi aut Lumborum subluxatas esse percipimus: si alterutra ex Causis §. 8. recentis præcessit; si simul Symptomata §. 9. fqq. & dorsum incurvum aut inæquale apparent; si articulus, post ei illatam vim, cum fovea vel tumore dolorem habet vehementem atque continuum, qui etiam suo tempore & adhibitis omnibus medicamentis non levatur; si inferiores partes sensim, Reductione facta vel non facta, emoriuntur; ipsaque tandem mors sequitur. Quamquam isthæc mala, pro diversa Luxationis spuriæ gravitate, varient omnino. Quo enim gravius affecta est Spina & præfertim ejus Medulla, hoc graviora quoque mala & vitæ pericula accedere solent. Quotnam autem, vel quæ in Spina loco suo motæ fuerint Vertebræ ex dolore & inusitata ejusdem curvatura dijudicandum est, vid. SAVIARD l. c. obs. 29. & 30. Si unica tantum Vertebra promota est, curvatura vel gibbus quandam quasi angulum, si plures polygonum efficit. In anteriorem partem Apophyses utrinque prolapsas esse concludimus, si Spina antrorsum inflexa & fovea deprecta conspi-

conspicitur ; si æger erectus esse nequit , sed in anteriora nititur ; si graviores semper , dum corpus inflectit , dolores percipit , contra , dum se resupinat , leviores sentit ; si eo tempore , quo is magno flexu in pronum datus fuit , iactu vehementi percussus est , ut in Casu meo accidit . Subluxatio in posteriore partem Gibbere evidenti dignoscitur . Si homo erectus esse nequit , sed in alterutrum latus nititur , Subluxatio in uno saltem latere est , & quidem in dextrum latus si prolapsa est Vertebra , in sinistrum latus inclinatum corpus apparet , minorique molestia in dextrum quam sinistrum latus inflectitur . In sinistrum vero latus si dehiscit , contraria Symptomatum horum series obtinet . Semper vero in utroque hoc casu Apophysis semotæ Vertebræ Spinosa filum reliquarum evidenter interruptit . Cum his dolor est , qui paulum levatur , si homo in pronum datus caput , quantum potest , attollit . Medens cæterum in omnibus his pendendis memor semper sit SORANI Lib. de Fract. signis pag. 48. moniti : sèpius multo hæc ossa frangi quam luxari .

§. XVI.

Jam divus senex HIPPOCRATES l. c. §. 48 : Quibus Verticula intus obliquantur aut casu , aut gravi aliqua re illata , his nullum quidem Verticulum exstat plerunque ita multum ab aliis ; si vero exsisterit multum , aut unum , aut plura , mortem inducunt . Urinae igitur talibus magis suppressimuntur , itemque alvi fit egestio , quam bis , qui extra gibbosum sunt , & pedes ac tota crura magis perfrigerantur , & lethalia sunt hec magis . Sed & , si superstites evadunt , magis profuam urinam habent , & cruribus impotentiores ac torpidiores sunt . CELSUS l. c. Lib. VIII. Cap. XIV. præmissis iisdem , ex ejusmodi casibus , inquit , ut tardius , quam ex capitis , sic tamen intra triduum homo moritur . PAULUS AEGINETA Lib. VI. Cap. 117. & AVICENNA Lib. IV. sen. 5. tract. I. C. 21. Subluxationem ad interiora Spinæ Dorſi pro incurabili venditant . Quibus appropinquant AMBROSIUS PARÆUS l. c. Cap. XV ; HILDANUS Cent. V. obs. 68. qui Luxationem Spinæ pro omnium periculosisima , Vertebrarum Colli pro absolute & cito lethali , reliquarum perfectam & imperfectam versus partem interiorem contingentes pro utplurimum necanti-

cantibus agnoscit; MUNNICKS, qui *l. c. p. 353.* hunc affectionem curatu admodum difficilem, si malum praecipue recens non sit, & una saltem Vertebra exciderit, perfectam Vertebræ Luxationem lethalem, Subluxationem, praecipue ad posteriora, valde ancipitem prædicat; HEISTERUS, qui *l. c. istiusmodi* casus plerosque, imo omnes periculosis admodum esse, praecipue quo propiores capiti sunt, quo majori violentiæ ortum debent, quo pauciores Vertebræ aut Apophyses, praesertim ab uno solum latere, proruperunt, autumat, levem tamen Subluxationem inter curabiles refert; PLATNERUS, qui *l. c. §. 1135.* Luxationem Vertebrarum pro cito lethali, Subluxationem pro raro curabili habet; & COL DE VILARS *l. c. p. 135.* qui, præmissa simili Prognosi, Luxationem tamen unius lateris aut Apophysilis illa, quæ utrinque fit, minus periculosa pronuntiat ab HEISTERO hic recedens, cæterum diriora Symptomata & difficiorem Repositionem tristius quoque præfigium largiri asseverat, & vicissim; ut alios taceamus. Capitis vero Luxationem mox lethalem notarunt: REALDUS COLUMBUS de Re Anat. Lib. III. Cap. II. p. 194. MAUCHARTUS *l. c. obs. 1. & 2.* PETITUS *l. c. p. 65.* post plures demum dies: PANAVOLUS apud BONETUM Sepulchr. Anat. Lib. IV. Seçt. VI. obs. 1. Vertebras ad interiora luxatas necis causas observarunt bis SAVIARD *l. c. obs. 29. & 30.* ultra sexies GOCKELIUS *l. c. Obs. Med. 10.* Imo Cycgis Luxationem funestam vidit PETITUS *l. c. Tom. I. Cap. V.* Nec hoc mirum, cum mortem ante vigesimum diem a luxato Talo per temerarium, loco repositionis, violenter contorsio narret TULPIUS *Obs. Med. Lib. IV. Cap. 50.* Quem terminum etiam Calcis ossi, ob sumnum cum univerlo corpore consensum, jam stabilivit locuples auctor HIPPOCRATES *Lib. de Art. XI. Hist. 48. Lib. V. Epid.* Fracturam duarum Vertebrarum Lumbarium, per inclavatum ipsis globum ignarium, mox lethalem, ob contusionem Medullæ, recensent *Memoires de l'Acad. de Chirurg. T. II. p. 517.* Omnes quoque saniores Chirurgi Fracturas corporum Vertebrarum pro funestis, Apophysum pro periculosissimis reputant.

§. XVII.

§. XVII.

Adfunt tamen vicissim , rariores licet , medentis animunt
 acuentes casus , qui partim probant , atrocissima talia mala
 ægrum non mox , sed post sat amplum demum tempus , e
 vivis eripere ; partim , qui Chirurgum certiorem reddunt , le-
 viores istiusmodi affectus non omnem prorsus medelam re-
 spuere . Ita horrendæ Fracturæ sex ultimarum Cervicis Ver-
 tebrarum , cum ruptura Ligamentorum & imperfecta Atlan-
 tis cum Epistrophæo Luxatione complicate , æger noven-
 decim dies supervixit juxta *Memoires de Chirurg. Tom. II.*
p. 516. Sic duæ Vertebræ Dorsi , per rotam plaustrī onusti
 impressæ , Paralyzin ab umbilico ad pedes usque caufantes ,
 a barbitonfore , infelici sidere repositionem tentante , ita
 vexatae , ut inflammatio , abscessus , fistula accederint ,
 sponte tandem evanescente Sphincterum resolutione , per
 plures annos non fuere lethales , teste *HILDANO l. c.*
Cent. V. obs. 68. Imo rusticus juvenis , cui ante quin-
 decim menses ex arbore cadenti secunda Vertebra Lum-
 borum introrsum impulsa fuit , ipse Hildanum adire potuit .
 Huic post casum protinus accessit atrox continuusque do-
 lor , præsertim si corpus inclinavit aut erexit , vomitus
 quoque ingestorum pertinax , febris ardens , sitis , vigi-
 lie , inquietudines , linguæ ariditas , delirium , ab umbilico
 ad pedes perfecta Paralysis , quæ singula naturæ beneficio
 ita fuere mutata , ut dolores , febris , multaque alia Sym-
 ptomata remiserint , æger lotium & excrementa retinuerit ,
 sed difficulter excreverit , sensum crurum , coxas genuave
 simul movens , recuperaverit , remanente tamen pedum Pa-
 ralysis , quia omnia per hoc tempus ita occalluerant , ut lu-
 xata Vertebra reponi nequiverit , *ibid.* In tenellis corporis
 culis , emplastri alicujus firmius adhaerescens ope , Verte-
 bræ faustam Restitutionem interdum peractam esse notavit
EYSEL Compend. Chirurg. p. 74. Id denique uno ore omnes
 affirmant Observatores Chirurgici , quo plures Vertebræ le-
 viter sede motæ aut violatæ sunt , absque tamen Medullæ
 commotione , eo minus periculum involvere , *vid. Mem.*
de Chir. l. c. p. 516. *GOCKELIUS l. c. p. 659.* , aliquie .

C 2

§. XVIII.

§. XVIII.

Cum medentis officium ab ipso exigat, ut ægrum ne
in desperatissimis casibus soli suo fato relinquat, hinc & in
Subluxatione Vertebrarum debitum restituenda pris-
dem defudarunt Chirurgi. Inde tanta Machinarum ab
HIPPOCRATE l. c. §. 39. 40. 46. ORIBASIO; AMBR. PARÆO
l. c. Lib. XV. Cap. XVI. p. 625. HILDANO Cent. V. obs. 69.
SCULTETO Arman. Chir. Tab. XXV. p. 15. aliisve sub Sca-
larum, Scannorum, Instrumenti coætorii, Funiculorum, Fa-
sciarum, Mantilium, Trochlearum, Vectium &c. nominibus
inventarum caterva, quibus omnibus Repositionem, non
sine magna Medullæ Spinalis commotione tentabant, uti id
inaustus eventus vix non semper comprobavit. Inde jam
HILDANUS l. c. obs. 69. methodum incisoriam fuaſt, qua
novacula via ad Apophyses loco motas panditur, eæque dein-
ceps tenaculis, extensa Spina, reponuntur, hanc vero Repo-
sitionem ipse pro desperato remedio agnovit, quod a nem-
ine hodiernorum, imo nec a suo auctore, ob copiam nervo-
rum, aponeurosiuum &c. hic locatarum, unquam, tentatum
fuisse novi. Minus crudeles, clariori vero luce donati hodie
Chirurgi, rejectis nimis compositis aut prorsus ineptis veter-
rum Machinamentis, ægrum, si amba Apophyses fede ad
interiora motæ sunt, primum super doliolum, cupam, tym-
panum, ahenum, aut quocunque aliud gibbum corpus,
pulvinare suffultum, collocant. Duo tunc adstantes ministri
dorsum utrinque juxta partes extremas sat valide, evitata ta-
men Medullæ rudi concusione, deprimit, simul vero Spi-
nam extendi jubent, ut aptius resiliere Apophyses queant.
Cui negotio ipse Chirurgus prorsus satisfacit, dum Verte-
bram promota inferiorem in dorso prominentem leniter de-
primit. Quod, nisi primo impetu statim succedit, eosque
repetitur, donec ex æqualitate restituta & malorum remissione ab-
soluta Repositio agnoscatur. Si Subluxatio a solo latere sinistro
est, ministrorum alter Coxam sinistram, dextrum Humerum alter
deprimit, & contra. PETITUS l. c. linteam crassum, vel
pannum aliquem, forma cylindrica convolutum, secundum
longitudinem lectulo supersternit, cæterum ægrum transver-
sim collocatum dicto modo restituit. Repositis Apophysibus
Splenia

Splenia Alcohole , Spiritu vini camph. Liq. anod. min.
 Hoffm. madida applicantur, quibus Fomentationes ex Herb.
 Majoranæ, Melissæ, Basiliæ, Salviæ, Folii Lauri, Flor. La-
 vendulæ, Lilio. Convallium, Rorism. Origani, Serpilli, Thymi,
 Stœchad. Arab. &c. vino rubro incoctis, discutiendi scopo,
 imponuntur, locusque injecto Mantili cum Scapulari firmi-
 ter deligatur. Æger deinceps in lectulum molle, æquabile
 collocatur, sanguis pro viribus ei detrahitur, temperantia
 nitrofa ipsi præscribuntur, membra resoluta dictis Spiritibus
 roborantibus tepidis, vel Spir. Formic. Lil. Convall. Lavend.
 Serpilli, Salis Ammoniaci cum Calce viva, admixtis Oleis æ-
 thereis, subinde probe fricatur, & vincitura rarius solvitur.
 Si patiens his subsidijs sanitati propior redditur, & partium
 usum sensim recuperat, pro hoc penitus restituendo, Stillici-
 dia (Douches) Thermarum, aquarum mineralium maria-
 lium, aut aquæ simplicis, in qua Sapo aut Sal Ammoniacus fol-
 vuntur, loco affecto applicanda sunt, vel Balneorum Laconicorum
 pro sudore, tempore hyberno, eliciendo, æstivo vero Thermarum
 Plumbar. Wisbad. Ferin. Badens. usus ipsi haud incongrue
 suadetur, & hæc ad plenariam usque sanitatem, debitum cum
 cautelis, continuantur; non neglecto interno evacuantum,
 roborantium & nervinorum debito adminiculo, inter quæ
 ultima Ætheris Chemicorum roborans & antiseptica vis hic
 forsan tentari possit; observata denique severa ac refrigeranti
 Diæta; convenienti quoque per fat longum tempus quiete.

§. XIX.

Accidit interim ut plurimum, sicut in Casu meo, ut a
 rudi compressione aut commotione Spinalis Medullæ per
 ictum, æger rebellem Paralyzin Vesicæ & tubi intestinalis
 experiatur, cui, præter dicta continua, Catheter & Clysmata
 plus minus stimulantia succurrant. Non ut vanam
 quoque hic repudiarem herbarum nervinarum §. 18. cum
 vino rubro coctarum in Vesicam & Atum injectionem. In-
 cassum vero exhibitis Indicationi Causali & Curatoriæ respon-
 dentibus remediis, & partibus jam putredine corrupti incipientibus,
 id quod ex Purpura, Dysenteria, Vomitu, Syn-
 cope & similibus diris indicis agnoscimus, nil amplius nisi
 Palliativa, pro rerum ratione a Medico ordinanda, restat Cu-
 ratio,

ratio, nimirum: I. Dolorum mitigatio. II. Inflammationis & Gangrænæ cohibitio. III. Sanguinis infecti per diapnoëm depuratio. IV. Excrementorum follicitatio, & V. Virium refocillatio. I. Scopo emollientibus, ut oleo Amygd. dulc. rec. Oliv. &c. emulis feminibus Amygd. Pinear. Pistaciæ. IV. frig. maj. & min. &c. anodynis v. g. Laudano liquido Sydenhami vel opiatu, Syruo Papaveris albi. II. nitrosis cum Antisepticis v. g. Liquore anodynico minerali Hoffmanni, Spiritu Nitri & Salis dulci. III. Diapnoicis simul Antisepticis, Æthere, Mixtura simplici camphorata. IV. Catheterismo & vix dictis Injectionibus. V. Nervinis & Cardiacis, ut Confectione Alkermes, Syr. Cinamomi, Caryophyllorum Tunicae &c. satifit. Donec æger artis ope non amplius servandus diem supremum obeat.

T A N T U M.



(X 228 A 9-10)

Straßburg, Med. Diss., 4.

Caillet -
Cuenotte

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-
CHIRURGICA
**CASUM SUBLUXATIONIS
VERTEBRAE DORSI CUM
FRACTURA COMPLICATÆ POST
FACTAM REPOSITIONEM ET VARIA DIRA
SYMPTOMATA DUODECIMA DEMUM
SEPTIMANA FUNESTÆ
SISTENS
QUAM
SUB AUSPICIO DIVINO
ANNUENTE GRATIOSA FACULTATE
MEDICA
PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA MORE MAJORUM IMPETRANDI
SOLENNI ERUDITORUM CENSURÆ SUBJICIT
**FRANC. AUGUST. FERDINANDUS
CUËNOTTE**
ARGENTINENSIS.
DIE XXX. SEPTEMBRIS A. R. S. MDCCCLXI.**

H. L. Q. C.
ARGENTORATI,
Typis SIMONIS KÜRSNERI, Cancellariæ Typographi.

